




# PALAESTRA LATINA



## S U M M A R I U M

- HORATIANA, (H. Martija).  
AD REGES MAGOS, (J. Llobera).  
CONLOQUIA LATINA. — Telephonium.  
TROCHUS ET TEMPUS, (C. Janicius).  
COMMERCIO EPISTULARE.  
NOVA ET VETERA, (I. González).  
CERVARIENSIS ACADEMIAE VIRI LITTERATI. —  
Raimundi Lazari Dovii Oratio.  
CURSUS GYMNASITICUS, (J. M.ª Mir).  
INTER SCHOLARES  
PER ORBEM (R. Pastó).  
BIBLIOGRAPHIA, (M. M. P., J. M. Giral).  
M. VALERII MARTIALIS (J. Llobera)  
in operculis.  
EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.  
COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permisso

Oda L. I, 59

*Hispane redditia.* <sup>(1)</sup>

AD LICINIANUM

Vicina in ipsum silva descendet focum  
Infante cinctum sordido.  
Vocabitur venator, et veniet tibi  
Conviva clamatus prope.  
30 Lunata nusquam pellis et nusquam toga,  
Olidaeque vestes murice:  
Procul horridus Liburnus et querulus cliens,  
Imperia viduarum procul.  
35 Non rumpet altum pallidus somnum reus,  
Sed mane totum dormies.  
Mercetur alias grande et insanum sophos:  
Miserere tu felicium,  
Veroque fruere non superbus gaudio,  
40 Dum Sura laudatur tuus.  
Non impudenter vita quod reliquum est petit,  
Cum fama quod satis est habet.

*Hasta tu hogar, cercado  
De pequeñuelos sórdidos, la espesa  
Vecina selva bajará de grado.  
Llamarás a tu mesa  
Al cazador, y convidado luego  
Por ti el vecino accederá a tu ruego.  
Lejos de aquel contorno  
La piel lunada, la recién teñida  
Veste de grana y el togado adorno:  
Lejos la voz temida  
Del Liburno, las quejas del cliente,  
El mando de las viudas insolente.  
No tu profundo sueño  
Romperá el triste reo; la mañana  
Dormirás toda, de ti mismo dueño.  
Deja que de la insana  
Plebe el aplauso necio aquél mendigue;  
Tú al feliz compadece que lo sigue.  
Del gozo verdadero,  
Mientras ensalzan de tu Sura el nombre,  
Disfruta tú sin ánimo altanero.  
Al que alcanzó renombre  
En lo restante de su vida breve  
Descanso honesto con razón se debe.*

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

(1) *Vide num. sup. in operculis.*

37. *Mereatur Teubn.*

41. *relicum Teubn.*

42. *Gibert apud Teubn. conjicit sat est, verum animi pendet.*

ANNUS SCHOL. III. NUM. 22 1932-1933 MENSE JANUARIO MCMXXXIII

# PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

---

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España,

---

## HORATIANA

Illorum temporum memoriam repetenti, quibus ob renovatas tum Latinas tum Graecas litteras, ingenia quam plurima excitata atque multorum opera perfectione sunt inlustrata, utilissimum fore mihi videtur ad antiquitatis Latinae auctores mentes oculosque convertere, atque ut studiosa manu illi scribendi dicendique magistri saepius versentur incitare. Tantum enim iis inest pulcritudinis nativae ac jucunditatis, tantumque ad acuendum judicium efficacitatis, ut vix aliquid possit melius.

Cicerone praetermisso, cuius opera manibus semper tenere debemus, quippe in quem ingenii opes natura effuderit universas, poëtas praecipue evolvamus oportet, a quibus omnis litterarum Latinarum elegantiae et eloquentiae laus in nos derivat. Quis enim latine scire aut scribere cupiat, qui longe melius ex ipsa poëtarum lectione quam ex grammaticorum schola voti compos non fiat? Et sane summus ille Romanae eloquentiae parens, M. Tullius ex quo fonte proprietatem sermonis nitoremque verborum hausit nisi ex Plauti, Terenti, aliorumque poëtarum lectione? «Omnis loquendi elegantia, ait, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis.»<sup>(1)</sup> Prae ceteris vero Horatium proprietate dicendi, sententiarumque pondere ad ingenium illustrandum idoneum puto.

De Horatiano igitur opere, paucis de ejus vita praemissis, breviter disseram, ea motus ratione ut alumni qui bonarum litterarum studiis incumbunt, tanti poëtae lectionem non sine fructu instituant.

**Horatii vita.** — Q. Horatius Flaccus in oppido Venusia, colonia militari in finibus Lucaniae et Apuliae natus est pridie nonas Decembris a. 689 (a. 65 a. Ch.)

---

(1) *De Oratore*, III. 10.

Matre quae brevi, ut videtur, mortua fuit, et patre libertino, non divite, qui patriis scholis minime contentus, una cum filio Romam se contulit,<sup>(1)</sup> ibique, actionum coactor vel salsamentarius suis auctis redditibus, puerum instituendum commisit magistris notioribus, inter quos Orbilius Pupillus, «major fama quam emolumento, et in docendo ferula scuticaque usus».<sup>(2)</sup> Ibi puer adhuc Latinos et Graecos rite legere et ante ceteros Homerum admirari didicit<sup>(3)</sup>. Patre mortuo, in Graeciam profectus est ut copta studia litteraria, praesertim vero philosophica perficeret, quae ibi tunc temporis magnopere florabant. Hoc exploratum habere possumus, Horatium Athenis sibi proposuisse sapientiae studiis se tradere, ut sermonibus, Platonis instar, faciendis, mores civium Romanorum emendaret, ac dociles animos in bonum reduceret. Romam reversus, a Bruto, qui se libertatis vindicem proclamarat ad ejus partes cum aliis juvenibus tractus, tribunus militum factus est, et in Macedoniam ductus; at poëta, victo in praelio Philippensi Bruto, post multa pericula, «relicta non bene paracula»<sup>(4)</sup> in fugam se dedit, militiamque abdicavit. (a. 42) Romam, triumvirum indulgentia, rediit, sed agello amisso et ob id in pauperiem lapsus, «venia inpetrata», ab Augusto scribae munus obtinuit totumque insuper ad vitam commodius sustentandam, componendis versibus se dedit.<sup>(5)</sup>

Editis carminibus, statim famam sibi comparavit, cuius opera amicitiam init cum viris id temporis inlustrioribus, Vergilio et Vario qui juvenem poëtam Maecenati commendarunt, adeo ut hic in suorum numerum exceperit, ac villa et praedio in Sabinis donaverit<sup>(6)</sup>. Dein per Maecenatem Augusti familiaritatem adeptus, non mediocrem in utriusque amicitia locum habuit. Augustus epistularum officium Horatio obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: «Ante ipse sufficiebam scribendis epistulis amicorum: nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistulis scribendis adjuvabit». Scripta quoque ejus, ait Suetonius, adeo probavit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo *Saeculare carmen* pangendum injunxerit sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum suorum inlustrandam, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.

Horatius obiit paulo post Maecenatem, V. Kal. Decembres a. 746, Manio Censorino et C. Asinio Gallo Consulibus.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

(Sequar)

(1) *ISat.* 6, 72: «Noluit in Flavi ludum me mittere (pater) Sed puerum est ausus Romam portare docendum —(2) *Suetonius* in Vit.—(3) *II Epist.*, 2, 42.—(4) *Carm.* II, 7, —(5) *II Epist*, 2, 51: «., paupertas impulit audax ut versus facerem».—(6) *Carm.* II, 18, 14.

## Ad Reges Magos

(Cfr. Hor. Ep. VII.)

Quo, principes Eoi, tenditis? aut gravis  
Cur dextra dono regio?  
—Regem Israëlis quaerimus, qui carior  
Est spiritu quem ducimus.  
Hunc supplices vocare votis venimus  
Eique dona fundere.—  
Herodis ecquid vos furore improbi  
Latent vel Infanti minae?  
Deine vis, an forte caeli oracula,  
An causa vos agit latens?  
Sic est: sacrum vestigium vobis datum,  
Sidus micans in aëre.  
O mille millies beati, queis Deum  
Videre magnum contigit,  
Aurumque regi offerre toto pectore,  
Deoque tus myrrham et virol  
En vestra fervidus premam vestigia  
Et sponte vobiscum sequar:  
Jesu Redemptori offeram fragrantia  
Quae vota spirent lilia,  
Et pauper et castus libenter munera  
Huic solvam oboedientiae.

Josephus LLOBERA, S. J.

## Conloquia Latina

### TELEPHONIUM

#### Personae:

- JOHANNES acri ingenio, telephonia vidit numquam, ANTONIUS satis instructus.
- J.—Fave, Antoni; de telephonio nescio quid meas venit ad aures. Nostin' eos adparatus quid sint? <sup>(1)</sup>
- A.—(Stupore oppressus) Num telephonium in vita non vidisti?
- J.—Ab oppido numquam deverti.
- A.—Atqui ipse cum aliis eo sum saepe conlocutus.
- J.—Mirabile quidquam sit illud opportet; ajunt enim quemquam ex eo gratulari posse.
- A.—Et eas gratulationes longiores esse quam per epistulam.
- J.—Si ita est cartulam tibi dabo, quam habeo bellulam ut, cum nudius tertius Caesaraugustam veneris, eamdem per telephonium ad parentes meos mittas.
- A.—Ha... ha... hae..!
- J.—Quid tu rides? Quid habet ridiculi propositum meum?
- A.—Qui mittam, amabo, cartulam per telephonium?
- J.—Quid jam? Nonne, ais, posse quemquam gratulationes mittere per telephonium atque eas quam per epistulam longiores?
- A.—Cum tibi dixi quod per telephonium gratulationes mitti possent, orales tantum gratulationes mihi volebam.
- J.—Quo demum pacto? Egone inde non motus ut per telephonium cum alterius oppidi hominibus loqui possim?
- A.—Ita profecto: neque cum hominibus vicini oppidi tantum sed et exterae etiam nationis et vel Americae.
- J.—Vel cum Americae hominibus? Igitur eo casu si quis Natalia Domini gratu-

### EL TELÉFONO

#### Personajes:

- JUAN, listo de carácter, no ha visto nunca teléfonos. ANTONIO, instruido.
- J.—Oye, Antonio, he oído decir no sé qué cosas de los teléfonos; ¿sabes tú qué son estos aparatos?
- A.—(Sorprendido) ¿Que no has visto un teléfono en tu vida?
- J.—Nunca he salido de mi pueblo...
- A.—Pues yo hasta me he comunicado por él varias veces.
- J.—Debe ser bien sorprendente, pues dicen que se puede felicitar por él.
- A.—Y hasta pueden ser las felicitaciones mucho más largas que una carta.
- J.—Si ello es así, yo te daré una postal muy bonita que tengo para que, cuando pasado mañana estés en Zaragoza, la envíes por teléfono a mis padres.
- A.—¡Ja... ja... ja..!
- J.—¿Por qué te ríes? ¿qué tiene de chocante mi propuesta?
- A.—¿Cómo quieres que envíe una postal por teléfono?
- J.—¿Pues qué? ¿no dices que se pueden enviar felicitaciones por teléfono aun más largas que una carta?
- A.—Al decirte que se podían enviar felicitaciones por teléfono me refería solamente a felicitaciones habladas.
- J.—¿Cómo! yo sin moverme de aquí, podría hablar por teléfono con personas de otro pueblo?
- A.—Efectivamente; y no sólo con personas de otro pueblo vecino, si que también con personas de otra nación y hasta con personas de América.
- J.—¿Hasta con las de América? Pues en tal caso, si uno quisiera felicitar las

1) Interrogandi forma apud comicos usitatissima.

*lari cupiat, octobri mense minimum locuturus sit, ut vox illuc temperi perveriat. Itane?*

A.—Minime quidem: vox eo per telephonum ictu oculorum venit.

J.—Ain vero?

A.—Ajo enim vero: ita est ut audis.

J.—Uti conjicio, telephonum sit oportet adparatus complicatissimus et carus.

A.—Nequaquam, scilicet hodie telephonum adeo vulgatum est, ut non tantum in uribus et populis sed etiam in privatis domibus constituatur.

J.—Ego vero si quodpiam telephonum videam, obstupeam.

A.—Faciam igitur quod potero ut proximis feriis te Caesaraugustam mecum adducam ut videas telephonum, atque ex eo loquaris et loqui audias.

Pascuas de Navidad, habría de hablar por lo menos en octubre para que la voz llegase allá con tiempo, ¿no es verdad?

A.—No; pues la voz por teléfono llega en menos de un abrir y cerrar de ojos.

J.—¿Cómo suena?

A.—Como suena; tan posible y real.

J.—Según eso, el teléfono debe ser un aparato complicadísimo y muy caro.

A.—Nada de eso, pues has de saber que hoy día el teléfono es tan común, que en las ciudades y hasta en las viviendas particulares se va instalando.

J.—Pues yo, si viese uno, creo que quedaría pasmado.

A.—Pues ya haré lo posible por llevarte estas vacaciones conmigo a Zaragoza para que veas y hables y oigas hablar por teléfono.

## *Trochus et tempus*

*Ut trochus hic rapidos torquet velociter orbes,  
Sic tempus, pueri, vitaque vestra ruit.  
Sed trochus, ut cecidit, repetito turbine surgit,  
Tempora non surgunt ut cecidere semel.*

*CLEMENS JANICIUS*

*Sociis nostris et lectoribus faustissimum in cunctis novum optamus annum. Gratia et pax a Domino Iesu Christo qui pro nobis parvulus factus est et in praeseppe vagiit.*

## Commercium Epistulare

*Andreas Avenarius Emmanueli Jové C. M. F.*

Ipsa die Andree, suavissimi Apostoli, perfeci atque exscripsi, quae de Santolio sequerentur. Nunc dimidiam fere partem totius rei tenes, quam ego absolvam mense Januario si salvus rediero ab Monachio, quo me profectum cogito, simulatque ante Jesu natalem, nominalem diem tuum, finis erit impositus scholis. Et dum alii bacchabuntur in deliciis, quae cum puerorum sollemnitate conjungi solent, ego fortasse solitarius cubabo domi parochi vici Schleibheim rursus inflammato sinistro crure, injecto sale. Durum erit illis anni diebus carere sacro, quod, ne accidat, vehementer timeo. Sed sicut Deo immortali placuerit, sic fiat. Illis igitur diebus si mei memor fueris, ex tua feceris re, nam quo citius convaluero eo maturius Santolum integrum accipies. Tibi tuisque felicia sint instantia festa.

Deinde, quā tu ex mea imagine canos concludere potuisti? nam jacent ad dextram machinae litterae tuae, quae tantopere me delectarunt et delectant, exceptis dumtaxat *apris*. Hoc multis nostrorum fratrum accidit, ut canescat paullulum capillus neque enim unquam premimur ea, qua hodie multi, difficultate inveniendae occupationis, nunquam sumus sine aliqua cura et sollicitudine. Mei autem capilli rarescunt potius quam canescunt, ita ut jam multis annis clericali tonsura opus non sit et frons mihi crescere videatur; ceterum est, cur valetudine contentus sim. Et si silvae Bohemicae caelum asperum dicitur esse, est tamen saluberrimum propter silvarum magnitudinem et altum supra mare situm. Investigavi in his silvis vias et soliditudes, per quas ego cotidie post meridiem ambulans Davidico laudo Deum carmine. Interdum etiam, cum est animus, alacrior, partes canantur. Hodie totas cecini vesperas, et ipsae arbores imbibere visae sunt flammeum illud patroni mei «O bona crux». Certe numquam ante hunc diem talia audiverunt. In illis igitur viis, si tu una essem, interdum loqueremur latine, una psalleremus, aestivos calores temperaremus gelido rivo, qui illic tortuosus prata palustria dividit.

Gratias tibi ago, quod addidisti litteris similitudinem statuae tuae. Stabis igitur in quadam aedicula supra scriptorium pegma meum, et si quando te inde amoliar, haerebis tamen memoriae meae, quae quoties Palaestrae fasciculus redditus erit redintegrabitur. Nondum est redditus Decembbris fasciculus, sed hoc loco laudandus mihi es, quod PALABSTRA primis mensium diebus adventare solet. Ipse experiris, quam sit non facile comparare singulorum mensium supellectilem. De essendo igitur nondum vidi sed exspecto, nam recte illa voce machinamenta illa referri censeo. Quod Fornarius noster de oblivione Averrili nostri meis ad te litteris suppegerat, (1) nihil fuit; nam illis temporibus interceptum erat meum cum «Alma Roma» commercium quia, exorto inter Germanos et Italos bello, impediebatur epistolarum vectura. Sed cum id in quadam epistula scripsisset Fornario, humanissime addidit fasciculo proximo illum numerum, in quo de tank machina ipse satis subtiliter, ut mihi videtur, scripserat.

Quod tu extremum posuisti: osculari te manum, tametsi illa uncia est sacro oleo, minus placuit. Cur enim genam genae non admoventes osculemur,

(1) Conf. «Almam Romam», ann. XIX fasc. III, p. 51 ad calcem.

si aspiam inter nos conspexerimus, fratres religioso statu et sacerdotio? Sed satis multa verba feci amico Hispano. Iam properandum est ad illum acervum epistularum, qui mihi his tribus diebus cumulatus in mensa est ita, ut vix emeragm ex gratulando. Vale. Dridie kalendas et ipsis kal. decembribus.

*Emmanuel Jové, C. M. F., Andreae Avenario, S. V. D. s. p. d.*

Tibi jamdiu non tantum litteras debebam sed et responsonem complemdam quae in alia epistula fuerat incopta. Hanc etiam responsonem faciet suam Tassetus noster cuius litteras, utrumque nostrum adloquentes, mense Mayo vertentis anni in *Alma Roma* ante meas ad te ultro perlegi. In iisdem amicus Gallus et *suscitabulum* accipiebat et non oppertere significabat, aut multum fallor, novas cedere voces, Julii Caesaris fultus exemplo, qui «tamquam scopulum vitabat novum et insolens verbum». Hoc exemplum autem non omnes sunt secuti posteriores Caesare scriptores; quin immo hujusmodi religioso scrupulo clare repugnabat Horatius in Arte poëtica cum dicebat:

*Ego cur adquirere pauca  
si possum invideo?*

Sed feliciter ad *Tanke* latine nominandum nulla opus est novata voce, sed jam Fornarius tres proposuit vel *castellum* vel *testudinem* vel *Graecum helepolim* quae mihi quidem non displicant omnino, at magis placet *vetus* etiam *vocabulum* sed neque *Graecum* ut *helepolis*, neque adeo commune ut *testudo*, neque quidquam fixum significans ut *castellum*. *Esse* *dum* tibi innui in superioribus litteris cuius *esse* *dum* proprietates protinus explicabo. Iis, meo quidem judicio, rei qua de agitur, significandae magno opere adcommodatur.

Jam vero si etymon attendimus *esse* *dum* dictum videtur, ait Forcellinius, ab *aiōω* i. e. cum *impetu* feror. Nonne *artificium* illud bellicum in Germanos cum *impetu* ferebatur, cunctis obstaculis superatis, quae ex iniuitate soli proveniebant, ex fossis, ex *aggeribus*, ex *nubibus* denique tellorum?

Nunc si quis roget quid fuisset antiquitus *esse* *dum*, cum Vossio respondebo: «vehiculi vel currus genus quo soliti sunt pugnare Galli.» Unde jam habemus *artificium* illud fuisse currum bellicum, cuius motas in hostes satis violentus, in quo nemo non videt cum *Tanke* hodierno convenire.

Sed gradum addamus. Quinam primum *esse* *dum* adhibuerant? Et in hoc mirabiliter non similitudinem sed paritatem habet *esse* *dum* cum recenti tormento bellico, nam, ut si de *Tanke* loqueretur, sic scripsit Forcellinius: *Esse* *dum* est *vehiculum* *Gallorum* et *Britannorum* apud *Belgas* primo repertum, vehendis quidem hominibus oneribusque aptum, sed a *Gallis* praecipue *Britanniisque* usurpatum in bello, cum ex eo pugnare soliti essent». Atque in eo quidem testimonio, praeter illud etymi quod ex ipsa voce prodit, adparet et eadem origo et idem usus et idem ferme locus ubi primam est usurpatus uterque *currus bellicus* et recens *Tanke* et *esse* *dum* *vetus*.

Neque opponas *esse* *dum* birotum fuisse atque equis tractum, etenim in applicandis praesentibus rebus antiqua vocabula non paritatem quaerimus sed quam maximam in adjunctis similitudinem.

Si tibi et lectoribus satis fecerim ex animo mihi gratulabor; sin minus judicium melius alii relinquo. Tibi obsequentissimus. Vale.

Cervaria, VII Kal. Novembres 1932.

## NOVA ET VETERA

Fors et picturæ hujus, quam oculis lustrabis tuis, lector suavissime, argumenta inter se convenire non videantur; verum ea ad meum linguae Latinae graphicæ exprimendæ scopum congruere certe adsentieris. Et enim varia sunt in tabula genera expressa rerum, quæ primum mandanda alumnorum memoriae curabis; deinde, ut grammaticas orationes proprio Marte dicendique rationes ipsi ex illis argumentis instituant. Sequentia autem sunt nomina rerum, quæ in pictura cernes adjuncta:

- |           |                     |
|-----------|---------------------|
| 1.        | Chirotheca          |
| 2.        | pero, onis et solea |
| 3.        | petasus             |
| 4, 18, 20 | horologium          |
| 5.        | pileus              |
| 7.        | ocrea               |
| 8.        | lychnus             |
| 9.        | perspicillum        |
| 10.       | perula              |
| 11.       | pasceolus           |
| 12.       | galerus             |
| 13.       | manuballistula      |
| 14.       | conspicillum        |
| 15.       | lychnuchus          |
| 16.       | marsupium           |
| 17.       | sacciperium et arca |
| 19.       | crepida             |
| 21.       | cothurnus           |
| 22.       | interula            |
| 23.       | subucula            |
| 24.       | violina             |
| 25.       | lentes              |
| 26.       | cultellus           |
| 27.       | umbella et scipio   |



Et sane tabularum istiæmodi scopus vel finis non in id unum vergit, quod alumnorum memoriam in iis addiscendis vocibus, quæ oculis quasi rapiuntur, adminiculere, vel sint eae tamquam unorūm ocalorum pedamentum. Porro in picturarum usu pergere magister debet, atque varia ex eis abstracta alumnorum studio argumenta expromere, præ primis in schola adulescentiæ, eosdem etiam atque etiam de aliquo picturæ objecto interrogando.

Adposita, exempli gratia, tabula sit veluti hodiernæ lectionis summa. Ad hunc fere modum potest magister, memoriae ab alumnis traditis vocabulis, procedere:

MAGISTER. — Repete mihi earum, quæ in chirothecam, peronem, petasum, horologium...

ALUMNUS. — Ea in tabula depictam video M. — Quid vero rei chirotheca? Quid sibi

vult pero? Quid?...


- A.—*Chirotheca est manuum digitorumque tegumenti genus; perone utimur ad contegenda crura...*
- M.—*Recte omnia. Meministin', quibus haec vox chirotheca confletur verbis..?*
- A.—*Originem dicit ab Graecis vocibus γείρ (manus) et Θήκη (capsa)..*

di methodo procedes, multumque ac cito proficient adolescentes in lingua addiscenda. Ex eo, verbi gratia, quod varia in tabula vestium genera existant (cof. num. 1, 2, 3, 5, 6, 7, 12, 19, 21, 22, 23), et alia ad hunc modum propones alumnis.

<i>Abolla</i>	<i>hopa</i>
<i>birrus</i>	<i>bata</i>
<i>bracae</i>	<i>pantalón</i>
<i>buccula</i>	<i>visera</i>
<i>calceus</i>	<i>calzado</i>
<i>calvatica</i>	<i>mantilla</i>
<i>campestre</i>	<i>taparrabo</i>
<i>cucullus</i>	<i>capucha</i>
<i>diabathrum</i>	<i>zapatilla</i>
<i>epitogium</i>	<i>guardapolvo</i>
<i>gallicae</i>	<i>chinela</i>
<i>impluvia</i>	<i>impermeable</i>
<i>indusium</i>	<i>camiseta</i>
<i>lacerna</i>	<i>capa</i>
<i>manucium</i>	<i>mitón</i>
<i>mastruca</i>	<i>zamarra</i>
<i>pallium</i>	<i>manto</i>
<i>pectorale</i>	<i>chaleco</i>
<i>pedule</i>	<i>calcetín</i>
<i>paenula</i>	<i>levita</i>
<i>periscelis</i>	<i>jarretera</i>
<i>phaecasium</i>	<i>pantuflo</i>
<i>rhenio</i>	<i>pechera</i>
<i>sagum</i>	<i>capote</i>
<i>sandalium</i>	<i>sandalia</i>
<i>schema</i>	<i>librea</i>
<i>sculponeae</i>	<i>zuecos</i>
<i>subligar</i>	<i>calza</i>

Hac tandem similique ratione, alumnorum oculis objecia tabula, ea que diligenter exarata (quod, ut nunc est, haud ita nobis facile), illa Latina lingua exuetur siccitate, quae adeo deterret hodiernos nostros scholares. Velis, igitur, equisque certemus ad unum omnes Latinitatis studiosi, ut recentes docendarum linguarum methodi nostro redintegranda Latinae linguae suffragentur studio.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



M.—*Quando, igitur, chirotheca utem ur Quandonam perone..?*

A.—*Scilicet, frigus cum nimis urgeat manusve scaleant pernionibus...*

M.—*Qualis est, sodes, chirothecarum color..?*

A.—*Multiplex esse potest...*

M.—*Dic mihi aliqua colorum nomina.*

A.—*Albus, niger, ruber, roseus, caeruleus, violaceus, fulvus, viridis, pullus...*

Sic fere, vulgaris definitionis usu jugique alumnorum ope tabulae interrogatione, facilime in directa docen-

## Cervariensis Academiae viri litterati.

RAIMUNDI LAZARI DOVII

### *Oratio de filiis Officialium militarium qui in bello moriuntur<sup>(1)</sup>*

Cum numquam defuerint homines desides et turbulenti, qui decreta praemia virtuti, a qua longissime ipsi absunt, variis artibus in invidiam infamiamque vocarent; tum nulla mihi videntur pluribus calumniis ignavae multitudinis patere, quam quae, ob susceptos fortiter a militibus pro patriae defensione labores, Imperatoriis edictis constituta fuerunt. Quod si aliquando homines legum ac majestatis ossores, in traducendis coram plebe Principum jussis, aliquo colore sibi blandiantur se non odio aut ambitione id facere, sed amore aequitatis quae inmodicis privilegiis non parum labefactatur; tunc maxime id ausos existimem cum ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano et Teodosio constitutum fuit ut filii officialium qui in bello decederent, in locum parentis sui subrogarentur. Audite verba *L. 3, C. de Fil. Off. Mil. qui in bello moriuntur*: «Si quis quocumque modo militans in bello moriatur, filius ejus, si unus sit vel ex multis major natu, statim in locum ejus succedat et easdem annonas accipiat, si pater usque ad Biarchi dumtaxat gradum pervenerit. Quod si altiorem obtinuerit (veluti ducenarii aut centenarii) filius ejus fiet tantummodo Biarchus». Dicent hic quid injustius, quam militaria praemia non merito virtutis, sed nascendi incertae condicioni adscribi? Certe qui ita loquuntur duo mihi videntur neglegere, ex quibus tota aequitas hujus legis repetenda est. Alterum quales illi fuerint juvenes, qui in paternos honores beneficio hujus legis succederent, ne indignis; alterum quales patrum virtutes, ne dignis quidem filiis, sed major quam pro meritis parentum tantus favor collatus videatur. Atque ut de filiis quos prius nominavi dicam etiam prius: non, ut postea fieri consuevit, filii officialium deliciis et otio diffuebant, non saltationibus et ludis sed tractandis diu noctuque armis ceterisque obeundis durae militiae munis aetatem suam exigebant. Atque haec quidem in pace, nam bellorum tempore quae tunc crebra et diuturna erant, patrem in quamcumque Martis fortunam commitabantur ut, eo magistro, tolerare militiam verumque laborem atque omnem virtutem disserent: communem cum illo victum communes labores communia etiam pericula habebant. Quidni igitur praemia honoresque cum illo haberent communia? De officialibus vero ipsis cum omni prorsus tempore, etiam cum rariora sunt bella, praeclaram in rempublicam eorum sint merita cuius saluti et incolumenti quietem fortunas vitamque etiam suam devoerunt, illud fiderim nunquam fortasse quam hujus promulgatae legis tempore illustriora extitisse, cum propter ingentes imperii turbas nulla dabatur ab armis cessatio et bella cum barbaris procul a domo gerebantur. Miseram vero interdum fortium ac de republica bene meritorum militum sortem! qui cum ea, quae gerunt

(1) Habita ad Cervarienses Academicos quo die ille juris civilis Doctor inauguratus est 19 m. Decembris anno 1765.



pro salute omnium, longe a suorum civium oculis agant, nullam non modo gratiam ab illis accipiunt: quin etiam illa quae a principibus justissima praemia sibi suisque filiis obtinuerunt sine illorum invidia retinere non possunt. Quod si funestam cruenti Martis speciem, si large fluentes atri sanguinis rivos, si diurnas vigilias frigoris denique ac famis patientiam videre non licuit, tamen quae illi tot aerumnis bona nobis pepererunt, intueri licet. Nam nisi haec illi formidanda pericula constanti animo aggressi fuissent, nisi militum armis hostium injuriae propulsatae essent, nullum hodie haberemus imperium, nullas urbes, nulla agrorum aut pastionum jura; jaceret agricultura, mercatorum navigatio conquiesceret. Academiae ipsae quarum mansuetiora studia maxime a militari professione et strepitu abhorrente videntur, sine militum praesidio silerent contemptae, nec haberemus tranquillos hos conventus quibus ad omnem erudititionem et laudem informamur. Satis multa a me dicta esse arbitror ut apparat hanc legem de filiis Officialium non fuisse injustam, temporibus autem illis atque hominibus, quibus lata fuit valde accommodatam. Quod si aliqui tamen sunt qui rationibus istis omnino non acquiescant, huic quidem certe aetati nostrae et praesenti Hispani imperii fortunae gratulari debent quod Carolus Rex, quem Deus nobis diu sospitem et incolorem servet, inter alia multa quae ad populorum felicitatem sapienter, juste, prudenterque constituit, novam legem de viduis et orbis Officialium tulit qua partem paterni stipendii omnibus quidem ut honestissime alerentur officia vero nonnisi iis qui inter filios Officialium virtute et meritis excellerent reservari jussit. Qua profecto lege non solum orborum necessitatibus sed etiam militari gloriae, qua stetit ad hanc diem et posthac stabit Hispanum imperium, prudentissime consuluit. Nam qua alacritate, quo animo Hispani homines, quos prodeunt in aciem non vultus hostilis, non acerba pericula, non praesens mortis metus, sed unica relictae posteritatis anxia sollicitudo retardare posset, nunc fidentes se cuicunque Martis discrimini committent? cum sciant si quid humanitus illis acciderit, manere filiis suis in Carolo providentissimum parentem qui eorum commoda non minore, quam solent patres, caritate procuret. Quibus vero contigerit ut in acie glorioissima morte occumberent, ubi ingressi fuerint beatas piorum sedes illudque animorum concilium quod illustres Hispanorum Heroum animae celebrant circum Philipum Regem cui anniversarium honorem tribuisti hodierno die, quem semper honoratum, semper acerbum habebitis; quibus laudibus filium Carolum coram Philippo patre prosequentur? Pater vero haec audiens (si quis tamen post mortem sensus eorum est quae in terris cum virtute et laudabiliter aguntur), quo gaudio efferetur, qua laetitia exultabit, cum videat filium successorem amplissimi imperii nactum esse eum, qui non modo omnes parentis virtutes in se expresserit, sed in affiendo minificentissimis praemiis virtutes bellicas quibus nemo antea plus Philippo tribuerat, parentem suum non modo aequaverit sed longo etiam intervallo superaverit?

## CURSUS GYMNASTICUS

### TULLIUS TIRONI<sup>(1)</sup> S.

*Scripta, ut videtur, inter med. Oct. a. 47 a. Ch. et id. Mart. a. 44. (Ad fam. 16, 20)*

*Sollicitat,<sup>(2)</sup> ita vivam,<sup>(3)</sup> me tua, mi Tiro, valetudo;<sup>(4)</sup> sed<sup>(5)</sup> confido,<sup>(6)</sup> si diligentiam,<sup>(7)</sup> quam instituisti,<sup>(8)</sup> adhibueris, cito te firmum fore. Libros compone;<sup>(9)</sup> indicem, cum Metrodōro lubebit,<sup>(10)</sup> quoniam ejus arbitratu vivendum est.<sup>(11)</sup> Cum holitore, ut videtur. Tu potes<sup>(12)</sup> Kalendis exspectare gladiatores, postridie redire, et ita censeo;<sup>(13)</sup> verum ut videbitur.<sup>(14)</sup> Cura te,<sup>(15)</sup> si me amas, diligenter. Vale.*

### ADNOTATIONES

1) *Tiro:* Carissimus fuit Ciceronis servus, postea libertus; acri ingenio ac liberali, litteris et doctrina maxime excultus; nonnulla conscripsit opera, primus conlectionem epistularum Tullii edidit, illo veluti administro Orator Romanus in litterarum studiis usus est; eidem denique aliqui adscribunt, quas Latini dicunt *notas seu brevia*tiones verborum, et aliquatenus respondet quod hispanice *taquigrafia* et *estenografia* appellamus, a vocibus Graecis ταχύγραφη (velox, angusta-scriptio).

2) *Sollicitat:* (*sollicitus*) a voce Osca *sollus* (totus) et *ciero*, quasi totus moveor. Sensum hic habet agitandi, turbandi, anxium et sollicitum reddendi. Hispano vero sermone idem est ac *preocupar*, *tener en cuidado*. Cf. «*Multa sunt quae me sollicitant aguntque*» (Cic. Ad Att., 1, 18, 1).

3) *Ita vivam:* Est formula graviter atque vehementer adfirmantis, inprecantis vero sibi mortem *ne vivam*: «*Ne vivam, si scio*», (Cic. Ad Att. 4, 16) «que muera si lo sé». Ad desiderium voluntatemque significandam subjunctivus usurpatur, et aequivalet Graeco optativo absque ἀν. *Ita vim auget orationis*.—Hunc locum recte vertes: «*Es tan cierto, como que vivo, que me preocupa tu salud*» Cf. «*Ita vivam ut maximos sumptos facio*» (Cic.

Ad Att. 5, 15, 2), «*Es tan cierto, como que vivo, que voy a lo ruina*».

4) *Tua, mi Tiro:* Possessiva vix exprimuntur, nisi vis orationis postulet.—Subinde necessitudinem exprimunt conjunctissimam: *Mi Tiro*; *Tironi suo*; *mi querido Tirón*; *a su querido Tirón*,

5) *Sed:* Temperat, limitat aut etiam rejicit praecedentem sententiam, praesertim negativam, atque ad sermonem seu argumentum intermissum resumen-dum inservit, sicut ad transitiones. Verum eodem fere modo invenies, superiore tamen sententiam aliquatenus vividius retractare videtur. *At* maximi est ponderis, inservitque maxime objectionibus proponendis solvendisque.

6) *Confido te firmum fore:* Infinitum cum accusativo subjecto, tamquam complemento logico orationis primariae, invenies post verba quae ad sensus referuntur, ut *videndi*; *audiendi*, *dicendi*, *cet*; quaeque nonnullas alias animi manifestaciones et intellectus expromunt, sic verba *cogitandi*, *credendi*, *sperandi*, *confidendi*, *cet*.—Futurum infiniti (*te firmum fore*) actionem exprimit, in usu horum verborum, consequentem illam quae in oratione primaria habetur.

7) *Si diligentiam adhibueris:* Est in subjunctivo, quia condicionem exprimit adhuc perficiendam, ac praeterea illam

habet incertitudinem quae apud nos sic exprimitur. «Si empleares, en el supuesto que emplees...»; gallice vero uteris imperfecto indicativi: «Si fractus inlabatur orbis in pavidum ferient ruinae». (Hor. Od. 3, 3, 7-8); «si el mundo hecho pedazos se desquiciare...»; «si le monde venait à s'écrouler...»; est insuper in subjunctivo potentiali, quo significatur rem fieri posse, dummodo haec vel illa condicio expletur. Subjunctivus potentialis duplex habet tempus: praesens et praet. perfectum, quibus absque discriminé exprimi potest sive actio praesens, sive futura (juxta enim probatos autores subjunctivus caret futuro) <sup>(1)</sup>; insuper eundem fere sensum habent sive praesens sive praeteritum in subjunctivo potentiali, praeterquamquod aliquando praesens notio nō habet actionis nondum finitae, praeteritum vero actionis jam expletæ. — Sensus ideo orationis est: «Confio que pronto estarás restablecido, si empleares como fundadamente lo espero, (quod ex perfecto intellegitur) la diligencia que has empezado a poner». — *Adhibere* est proprie uti aliqua re ad finem praestitum: «Videamus, quanta sint, quae a philosophia remedia morbis adhibeantur» (Cic. Tusc. 4, 27). *Uti* dicitur de usu in genere, et praesertim de usu constanti, quasi habituali et necessario, quam certe constantiam et necessitatem in locutione *uti aliquo praeceptore, aliquo familiariter, expromptam* invenies: «Utebatur intime Q. Hortensio» (Corn. Nep. Att. 5, 4). *Usurpare*, quod ab *usu* et *rapere* promanare videtur, usum notat transeuntem et momentaneum, non vero necessarium, quare de verbis in oratione proferendis dicitur: «Praeclare est hoc usurpatum a doctissimis...» (Parad. 5, 1, 33). *Frui* denique jucunditatem manifestat quae in usu alicujus rei animum occupat: «Tu voluptate frueris, ego utor» (Sen. Vit. Beat. 10, 3).

#### 8) *Instituisti; (in statuo) Simplex statuere translate exprimit consilium seu*

(1) Dans les propositions indépendantes, *scribam* et *scripserim* peuvent désigner soit une action présente, soit une action à venir, puisque le subjonctif n'a pas de forme spéciale pour le futur. (Riemann, *Syntaxe latine* § 152; a. 1920).

optatum aliquid agendi, duni compositum *instituere* ostendit etiam initium actionis i. e. aequivalet verbis *incipere, ordiri...* — Nota pro compositione: *instituc,* *ā-i.* Vocalis brevis, non consecutā r, nec praecedenti i, in syllaba media aperta (ea scil. quam una tantum consona consequitur) mutatur in ū, rarius in ū in compositione; sic habes: ū permanens: *vīdeo-evidēns, provīdūs, ē-i:* *sēdeo-obsēdeo, praeſēdeo, dēdi-redīdi;* *ā-i:* *hābeo-adhībeo; stātuo-reſtītuo, instituo;* *ō-i:* *lōcūs-illīco (in loco); ū-i: cāput-capītis.*

.9) *Libros compone:* Usurpatur *praesens* imperativi cum, ea quae peragenda sunt, nullam relationem ad tempus aliquod statutum habent, sed nunc aut citius aliquid est faciendum: «vale; cura ut valeas.» Exprimitur vero *futuro* imperativi actio quae ad tempus futurum manifeste refertur, praesertim ubi oratio secundaria futurum postulat, aut rei quae evenire possit aptatur; hocque imprimis in legibus earumque imitationibus invenies. «Si... de me ipso plura dicere videbor, ignoscitote» (Cic. P. Sest. 31). — Praefixum *com*, *con* (cum) significat conjunctionem, societatem, amplitudinem, intensitatem: *Pono* — poner, colocar — sine notione accessoria; *componere* — poner en orden, arreglar —; *componere* — mas, bellum. — *Pōno* conflatur particula \*pō et verbum sīnō, ut luculenter in participio pō+situs adpareat. Ideo habes \*pō-s-i-no \*pōsno, pōno.

10) *Cum Metrodōro lubebit:* Subjunctivum nos usurpare solemus, Latini vero indicativum ubi adest oratio temporalis rei futurae. «Me, ut tibi videbitur, sepelito» (Cic. Tusc. I, 43, 103). «Sepultame como te pareciere, te parezca.»

11) *Ejus arbitratu vivendum est:* Hay que estar a lo que él diga; *arbitratus*, sicut et alia hujusmodi substantiva, in ablativo casu fere solummodo reperiuntur.

12) *Tu potes spectare*: Solent Latini indicativum usurpare in verbis et locutionibus quae veram possibilitatem aut obligationem notant ubi nos subjunctivum hypotheticum habemus; quo indicativo exprimitur possiblitas aut obligatio, praesens aut praeterita, aliquid perficiendi. «*Possum nominare*» (Cic. De Senect. 7, 24). «*Podria nombrar*». «*Poteras dixisse*» (Hor. ad Pis. 328). «*Podrias haber dicho*».

13) *Ita censeo*: «*Este es mi parecer*». Formula fuit etiam senatorum propria et solemnis.

14) *Ut videbitur*: Discrimen quod intersit inter hanc locutionem (*ut videbitur*) et illam quae in hac ipsa epistula habetur (*ut videtur*), illud esse adparet,

quod posteriori locutione consilio et sententiae Tironis adsentiat Tullius de modo sese cum holitore habendi, quasi dicat: «*Estoy conforme con lo que me dices del hortelano*»; dum prior facultatem prorsus tribuit Tironi ea, quae in epistula a Tullio significantur, perficiendi: «*Pero, en fin, haz lo que te plazca*».

15) *Cura te*: Cf. «*Cura ut valeas, fac valeas, da operam ut valeas*». *Vale* i. e. sanus sive incolumis esto; *hac voce* utimur in discessu, comiti bene precantes; frequentissime occurrit in epistulis praesertim. *Salve* majore pollet vi quam *vale*; *vale* praesertim ad corpus refertur, *salve* ad pericula: «*Vale, mi Tiro, vale, vale atque salve*». (Cic. Fam. 16, 4, 4).

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## Inter Scholares

**GEORGIUS.** — *Ex qua tandem chorte aut cave nobis ades?*

**LIVINUS.** — *Quid ita?*

**G.** — *Quia male saginatus, quia macie pellices totus, ariditate crepitas. Unde prodis?*

**L.** — *E conlegio laicali vel potius athaeo.*

**G.** — *Ergo ades nobis onustus litteris.*

**L.** — *Immo pediculis.*

**G.** — *Pulcre comitatus advenis.*

**L.** — *Sane nec tutum est nunc viatorem ire incomitatum.*

**G.** — *Agnosco satelliticum eorum scholastorum. Ecquid novarum rerum vieras Lutetiae per aestatem?*

**L.** — *Illud in primis quod, scio, tibi videbitur incredibile. Lutetiae beta sapit, et querqus contionatur.*

**G.** — *Quid tu narras?*

**L.** — *Hoc quod audis.*

**G.** — *Quid ego audio?*

**L.** — *Hoc quod narro.*

**G.** — *Monstri simile.*

**L.** — *Atqui sic res habet; nec audita narro, sed comperta.*

**G.** — *Oportet igitur illic plurimum sapere homines, si sapit beta et querqus.*

**L.** — *Recte conjectas.*

**MONITUM.** — *Socios nostros amicissime rogamus ut cum subnotationis pretium per gyrum postalem miserint, de missione et de numero mitten-  
tis certiores nos facere velint. Quasdam nunc pretii missiones habemus,  
neque scimus eas quibusdam adseribamus. Valete atque ignoscite!*

## Per orbem

**Pro rebus Hispanicis.** Perquam familiare PALAESTRAE lectoribus nomen Associationis G. Budé et gratum omnino est, amoremque in eorum animis tot labores ab illa felicissime suscepiti et in finem adducti excitarunt. Tamen plurium nondum fortasse pervenit ad aures nova institutio, quae nobis praecipue Hispanis maxime est placitura. De collectione agitur publicationum quam «Les Belles Letres» edet in lucem, ad res Hispanicas in omnibus gentibus propagandas.

Nihil fini suo non consentaneum insituit, cum hoc in yotis habeat, litteras Latinas fovere; quod sane etiam assequetur litteraturas neo-latinas investigando. Haec igitur collectio hunc in primis finem sibi proponit: recta cognitio rerum Hispanicarum, nam ut recte affirms relator, Hispania non bene noscitur neque proinde pro merito aestimatur. Ad hunc finem obtinendum collectio sive opera litteraria methodo scientifica tradita, sive studia generalia vitam Hispanicam sub diversis aspectibus consideratam complectetur. Sectio specialis nostrae Catalauniae reservatur.

**Commissio Romana ad instaurationem studii et usus linguae Latinae promovendam.** Nuper Romae commissio pro studio et usu linguae Latinae, quam constituant E. D. De Francisci, Gratiae et Justitiae Minister, et professores Solmi, Scialoja, Bodrero, Paribeni, Nogara, Rossi, Ussani, Frascherelli, Galassi Paluzzi et Rispoli, conventum habuit, in quo normas ab Instituto pro studiis Romanis servandas statuit ut instaurationem promoteat studii et praxis Lati-

nitatis, et quibus normis concursus oratoria et conversationis in lingua Latina a praelaudato Instituto proxime celebrandus moderari debeat. Praeterea creationem sectionis specialis adprobavit, qua in proximo tertio Congressu nationali pro studiis Romanis speciatim de modo fructuosius studendi Latinae linguae tam in Universitatibus quam in Liceis.

**Congrès de Nîmes.-30 Març-2 Avril 1932. - Actes du Congrès.** Gratissimo animo affecti sumus paginas percurrente hujus Supplementi Bulletini Associationis G. Budé, qui actorum in Congressu Nemausi summa contineat. Volumen in 12, 244 paginis constans crescentis activitatis Associationis evidentissimum praebet testimonium. Praeter historicam Congressus evolutionem, in hoc volumine plures invenies investigationes et communicationes ponentium omnino ineditas et originales, sicut et discussiones de rebus nunc maxime agitatis.

**A Virgilio... il Clero Mantovano.** Mirabili laudum concentui Vergilium in bis millesimo nativitatis anno celebrantium Clero Mantuano minime deesse licebat. Ad nostram redactionem pervenit nuper collectio lucubrationum quibus Clerus Mantuanus Vergilium et illustravit et honestavit. Volumen 287 paginarum XIV compositiones contineat, quarum XIII dissertationum et investigationum nomine sane merentur decorari, in quibus ideologia, affectus, aliaque adjuncta Vergilium spectantia perscrutantur.

R. PASTÓ, C. M. F.

## Bibliographia

**A. Gríera.** *Gramàtica històrica del Català antic.* — Publicada a despeses de la Institució Patxot, Barcelona, 1931.

Haec, quam hodie benevolo nostrae PALAESTRAE lectori offerimus, operis recensio non continet criticum laboris judicium, sed ejus potius expositionem, publicationem, notitiam; impares enim nos ad sinceram hujus libri criticem instituendam esse fatemur. Ex titulo sufficienter adparet de lingua nunc apud nostrates in usu, sive populari, sive litterario non agi, sed de antiqua apud avos nostros adhiberi solita.

In libro hoc tractationis materiam contrá vigentem adhuc consuetudinem in capita, paragraphos et articulos non dividitur; duas logicè distinguere oportet partes: historicam primo, technicam secundo. In parte prima de factis historicis agitur, quae nostrae linguae propagationis causa extiterunt; de quinque linguae dialectis; de linguae Catalaunicae extensione; de constitutivis ejusdem linguae elementis; de illius graphia, deque monumentali ejusdem indole. Pars technica haec capita complectitur: phoneticam primo, morphologiam deinde, syntaxim tertio, verborum modos, conceptuum per particulas coordinationem ac vocabulorum tandem formationem, quae omnia peritissimis PALAESTRAE lectoribus minutatim explanare supervacaneum arbitror. Quae in syntaxi tamen, verborum modis ac conceptuum per particulas coordinationem statuantur regulæ vel normae multis ex antiquis, uti par est, scriptoribus desumptis exemplis, passim confirmantur.

Notae bibliographicae non initio vel in fine totius libri conjunctim, sicut mos est, sed in fine capitilis, cuius

sunt congeruntur, tum adjectis numeris loci illius, ad quem referuntur, ut p. 10, 17, 35 et 40, tum vero sine alio numero, cum ad totam pertineant paragraphum, ut p. 2, 74, 75, 95-96, 135-139.

Octo paginis tandem index analyticus continetur, duabus index materiæ, qui ultimus ordinarium per capita, paragraphs et articulos distinctum supplantat.

Faxit Deus ut per multos annos vires cl. auctor hujus generis laboribus impendere possit, donec una tandem sit omnium nostrum, in altera vita, loquela scilicet angelica.

M. M. P., C. M. F.

**J. Humbert.** *Histoire Illustrée.* — Paris, Henri Didier edit., 4, rue de la Sorbona, 1932.

Opus vertente hoc anno adparuit utilissimum abs dubio Latii cultoribus. Nam saepe accidit ut scopus ab auctoribus praefixus, minime in exoptata pertingat, quod locum in praesenti non obtinet. J. Humbert Litterarum historiam una cum generali ab origine Romani Imperii usque ad initium Aetatis Mediae minutatim et facili calamo describit.

In opere tria supra omnia eminent. Primo mirabilis nexus quo connectuntur Litteratura Latina et Historia; secundo rite scriptorum indoles delineatur eorumque operum; tertio copiosa illustratione lectorum ante oculos prisci reviviscunt mores, artes, vita politica et litteraria. Etsi amplior desideratur critica, documentatio istius vicem aliunde gerit. Demum hujus historiae auctor sedulo perpendit ac reserat quid Litterarum Latinarum proprium sit, nempe omne illud quod nobis magni Populi animam mifestat et missionem. — J. M. GIRAL, C. M. F.

# Exercitationes Scholares

## Los pavos reales y el buho

(Annus III n., 20)

Entre las cosas humanas nada hay seguro. En medio del collado que se descubre en las ruinas de Civitavecchia de Frascati, existe un campo muy célebre por su belleza y por la abundante variedad de árboles, y bastante vistoso por el arte de jardinería y por sus flores. Una bandada de pavos reales que iba corriendo de una parte a otra, se detiene atraído por las miradas de todos, tanto por sus colores, cuanto por la ancha rueda que forman sus plumas. El de más edad, un pollo del más hermoso pavo, repetía a menudo gloriándose, que él constituiría las delicias de todos, llevándose la primacía en las alabanzas por su hermosura. ¡Qué esperanza tan falaz! Una vez entrada la noche el pavo recogía a sus polluelos debajo de los árboles. Cuando de repente de un alto y viejo agujero del templo más cercano sale un buho que, volando silenciosamente, arremete al pollo y, agarrándole con sus fieras uñas, le lleva al instante al nido como sabrosísima presa, que clama entre gemidos al ser despedazada: ¡Oh esperanza, oh vida, a donde habéis venido a parar!

TOMÁS SANZ, C. M. P.

*Barbastri.*

## Fur et mater ejus

(Ann. II, p. 131)

Cum quidam puer abripuissest in literario ludo tabellas condiscipuli, adduxit eas ad matrem. quae tam longe afuit ut increparet eum ut potius actum laudaret. Transierunt anni et puer adulescens coepit abripere majora. Depre-

hensus denique in furto conductus est in supplicium ligatus manibus et pedibus. Mater interea sequebatur eum gemebunda. Filius rogavit lictores ut sibi permetterent dicere aliqua verba in aurem matris. Perveniens mater confestim, aurem admovet ad os filii qui, eam extemplo dentibus apprehendens, morsu devulsi. Tunc utcumque non solum mater exclamaret filium suum admisisse scelus magnum, sed etiam insuper accusarent eum omnes quod, non contentus prioribus sceleribus, fuerat immisericors erga propriam matrem, filius: «Ipsa, mea ipsa mater, inquit, fuit causa necis meae. Nam quando adduxi tabellas ei quas ego rapueram condiscipulo, si me adfecisset poena, non ego processissem prorsus in furtis meis, neque nunc in supplicium ducerer.»

Haec nos docet fabella malum crescere in singulos dies magis magisque nisi ejus obstemus principiis.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> DESCH, C. M. P

*Villae Rosarii in Republica Argentina.*

*XI Kal. Novembres.*

## De Medico insolenti

(Ann. III, n. 20)

Medicus quidam. Menecrates nomine, sanatis nonnullis morbis, eo vanitatis processit, ut non erubesceret Jovem se dicere. Aliquando Philippo litteras misit ita exorsus: Menecrates Juppiter Philippo salutem. Rex autem, tantam hominis stultitiam admiratus, ita ei rescripsit: Philippus Rex Menecrati sanitatem. Auctor tibi sum, ut Anticyram pergas. Tua vero interest quantocius illuc ire, cum profecto neminem fugiat id tibi opus esse.

FR. HECHT

*Limburgi in Germania.*

## Compositiones vertendae

### El hombre magnánimo<sup>(1)</sup>

Cierto general recibió (2) en la rodilla una herida peligrosa. Los cirujanos declararon que sería forzoso proceder (3) a la amputación de la pierna. El general mostró mucha calma (4) al oír esta decisión (5). Entre las personas (6) que le rodeaban advirtió a su ayuda de cámara (7) que parecía experimentar el más profundo dolor. —¿Por qué lloras tú? le dijo él

riendo (8): esto es para ti una suerte (9), pues en adelante no tendrás que embozar (10) más que un zapato.

### Notulae

- (1) Fortis. —(2) Praet. plus quam. —  
(3) Procedendum fore. —(4) Pax. — (5) Quod audiens... —(6) Inter eos. —(7) Cubicularius. —(8) Adridens. — (9) Id tibi accidit fortunate. —(10) Incerare.

### Canis marinus et Vulpes

In parte quadam Tergestini (1) litoris,  
custodes pelagi, jam confectum (2) lanceis,  
canem marinum laniebant securibus.  
Aperto stomacho insunt viriles calcei  
et horologium, vestiumque frustula:  
Scilicet ingluvies (3) hominem devoraverat.  
Casu praeteriens vulpes, reque cognita, (4)  
o monstrum, clamat, horridum! (5) Mihi bene (6)  
quae tantummodo gallinam pullumque jugulo.  
In magnis peccavisse vel minoribus  
est crimen usquequaque et res nefaria.

### Notulae

- (1) Tergestinus: De Triestre. — (2) Conficere: matar. —(3) Gula. —(4) Dándose cuenta de eso. —(5) ¡Qué monstruo tan horrible!. —(6) Bien por mí.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**

**Moderator**

**Typographia F. Camps Calmet. — Tarregae**